



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense

Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>

Coloniæ Agrippinæ

De Communione Paschali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41233

incipiens à ministris altaris, si velint communicare. Finita communione, revertitur ad altare, nihil dicens; & non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Missæ. Deinde dicit secreto: Quod ore sumpimus, &c. ut in Missali: se purificat, & Missam absolvit. Quod si contingat, absoluta Missa, statim aliquos interdum communicare, tunc Sacerdos, adhuc planeta indutus, sacram communionem, eo modo quo supra dictum est, ministrabit.

De Communione Paschali.

C*Vret autem Parochus, ut in Quadragesima, per se vel per alios concionatores, populo opportune denunciatur Constitutio Concilii Lateranensis sub Innocentio III, quæ sic habet:*

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum; alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.

Sequitur eadem Constitutio, Germanice versa, prout populo de suggestu prælegi debet:

Ein jeder Gläubiger Mensch/ so bald er zu den Jahren seiner vernunft kommen / soll alle seine Sünd auff's wenigst einmal im Jahr seinem eignen Priester in geheimb

vnd getrewlich beichten/ vnd sich befließen die auffgesetzte Buß nach seinem vermögen zu volbringen : vnd soll zum wenigsten zu Ostern das Heilige Sacrament des Fronleichnambs Jesu Christi würdiglich empfangen / es sei dan das er nach rath seines eignen Priesters oder Pfartherm / und gnugsamen vrsachen halber / ein zeitlang von der empfangung desselben Sacraments sich zu enthalten vermeinet. Sonst soll ihme in zeit seines Lebens / der eingang der Kirchen verboten werden/ vnd/ so er stirbt/ soll er Christlicher Begräbnuß beraubt sein.

Vt igitur hoc salutare Concilii decretum inuolabiliter seruetur, descripta Parochus habeat nomina suorum Parochianorum; et, qui dicto tempore non communicauerint, elapso, pro loci consuetudine, Paschali termino, eos, qui propriae salutis immemores, saepius admoniti, non obtemperauerint, Ordinario suo denunciaret.

Dabit quoque operam Parochus, quoad ejus fieri potest, ut Parochiani sui, à die Palmarum usque ad Octauam Paschae, praeeptum de Communionem Paschali satisfaciant. Quod si tamen ob Parochiae amplitudinem et animarum multitudinem id fieri non possit, longiorem terminum ab Ordinario suo mature impetrare curabit.

Alienae Parochiae fideles ad proprium Parochum remittet, praeter peregrinos et aduenas, et qui certum domicilium non habent: quibus, si rite parati accesserint, ipse sacram praebet Communionem.

Aegrotis quoque Parochialibus, etiamsi Communionem extra praescriptos Paschales dies sumpserint, in Paschalibus diebus illam deferret ac ministrabit.

De Communionem infirmorum.

Vaticum sacratissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi, summo studio ac diligentia, aegrotantibus opportuno tempore procurandum est, ne forte contingat illos tanto bono, Parochi incuria, privatos decedere. Cavendum autem imprimis est, ne ad indignos,

cum